

Α Ξ Ω.
ΣΚΙΑΓΡΑΦΙΑ
Doctrina inextricabilis adhuc

De

ACCENTIBUS EBRÆORUM;

Quatenus in Bibliis S. S. Vet. Instr. habentur, &c.

Autore

ANDR. SENNERTO, P. P.

in Academ. VVitteberg. Ejusdemq;

Seniore, h. t. Decano.

Wittenbergæ,

Typis & sumptibus Hæredum Jobi VVilhelmi Fincelii,
Excudebat Elias Fiebig/ Anno 1669.

LECTORI BENEVOLO

S. & St.

Verisimum id quidem est Sipientis Aben E-
fra L. B. effatum: כל פירוש שאינו על דרך הטעמים לית הנכונה לו ולית השמע אליו Quæcunque
Expositio non fuerit juxta rationem accentuum, neq; ac-
quiescite ei, neqve audias eam. *Me judice quidem ceteris quan-
quam paribus & cum grano salis nihilosequus accipiendum. Nimi-
rum, haud incommode id mihi sese quoque hac vice offert Ennii: Phi-
losophandum; sed paucis. Sic dixerim & ego forte: accentuandum
sed paucis, non curiose nimis aut scrupulose, ut vel pluribus è dicendis
mox constabit. Adde, non levia sunt item aut brevia in sese alias Lin-
gvarum Orient. etiam Ebraismi studia: detrectantibus insuper pluri-
mis hodie vel pauculum temporis impendere illis, ne dum ut accentuum
doctrina plusculum. Ceterum, cum ad id doctrinæ genus nuper in Col-
legio privato quodam ventum mihi esset, semel adhuc & ultimò res
tentanda mihi videbatur, ecquid tandem posset exculpi ex eodem. Atq;
hæc, en, adeò sunt, L. B. quæ asportavi demùm ex hoc grammaticali bel-
lo sacroq; eodem spolia, quæ partiri Tecum animo bono volui, nec in-
digna fortè censui. Servet Te DEUS, servet! scrib. τὰ χίσα, è Museo
meo, Maij die 3. anni Chr. Isc LXIX.*

SUMMARIUM.

Accentuationis Doctrina difficilis non tantùm, sed &
inextricabilis adhuc. Accentuum apud Ebræos No-
menclatio: Necesitas: Multitudo, & unde hæc? Re-
moventur Accentuum quædam Synonyma: item
Metheg, Pesik, Makkaph & Soph-pasuk. Numerus certus,
& Officium vel Usus accentuum, & quidem hic triplex. Usus
in specie etymologicus: quædam specialia de eodem. Usus
Musicus

Musicus, quantum *ἰσθῆρι*, probatur paucis. **Ufus Syntacti-**
cus atque potior idem in præsentī. **Specialia** quædam de eo-
dem. **Norma accentuationis & quænam illa?** **Accentuum**
ministerium, vel ministeri ipsi sunt rectè vocanturq; **sensus S.**
Scripturæ, cæteris quæq. paribus. **Pausa vel interspiratio in**
Oratione, adeoque & interpunctatio triplex maximè. *Σχέσεως*
& Consecutionis accentuum fundamentum & ratio adstru-
untur. **Accentus distinctivi & non-distinctivi.** **Subdistin-**
ctio accentuum, distinctivorum præsertim. **Fundamentum &**
& Certitudo hujus seu rei seu negotii. **Probatur hæc (postè-**
rior) paucis. **Ministerium accentuum & Consecutionis**
eorundem Processus & Ordo proprius nunc aliquantum
considerantur evolvunturqve. **Accentus primi ipsi s. pri-**
marii omnium sex vel octo. **Silluk in specie primum.** **Ath-**
nach dein. **Ditio utriusqve.** **Segolta, Rebhia, Sakeph ka-**
ton & Sakeph gadol. **Duces & ministri.** **Rigor accentua-**
tionis non unus idemqve semper vel perpetuus. **Adstruitur**
id ipsum specialius aliquantum. **Ministerii accentuum Pro-**
cessus & Ordo genericè evolvitur & paucis. **Qui diversus,**
pro ratione sententiæ brevioris & longioris. **Ducum mini-**
strantium divisio: reliquorum ita. **De Periodo in specie e-**
jusdemqve constitutione. **Colon in specie.** **Comma in sp.**
Specialia quædam: de Silluko, Athnach, Segolta, Rebhia,
Sakeph katon, Sakeph gadol, Schalscheleth, Iethibh, Tiphh-
cha & Munach. **Processus sive Consecutionis Ordo accen-**
tuum in libris profaicis specialius nunc evolvitur. **Schema**
ejusdem, οἷς ἐν πλαται. **Accentuationis ratio in libris me-**
tricis paucis attingitur. **Concluditur: Accentuationis ra-**
tio & doctrina partem certâ; partem incertâ & intricatâ
non parùm & adhuc. **Probatur idem paucissimis.** **Conclu-**
ditur demùm & denuò.

TRACTATIO.

§. 1.

Accentuum Ebr. ratio sive doctrina hactenus nec à quoquam Nostrum (absit dicto hostilitas) nec ab ipsis etiam Ebrais sive Judæis sufficienter, sufficienter dico repetitæque, explicata est. Quod vel ex seqq. utcumque elucefcet. Ita nihilominus videtur & paucissimis de illis habendum, ut sequitur.

§. 2. Accentus vocantur Ebrais טַעַם / טַעַמִּים *gustus* sive *sapor*: quod Orationem, cum simplicem, tum conjunctam: etiam condiant veluti lapidamque reddant.

§. 3. Quemadmodum nulla Syllaba est sine Vocali (anima q. ejusd.) ita Vox nulla est sine accentu. (ordinariè scil. nisi aliud quid obstet.) Et vicissim quemadmodum Vox nulla est ordinariè sine accentu, ita Oratio integra sive sententia sine pausa, interpunctione vel accentu syntactico. Unde de *Necessitate* constat satis, *distinctione* utcumque, &c. accentuationis.

§. 4. Accentus (*etymologicus*) ad vocis naturalem, convenientem & debitam prolationem videri poterat sufficisse primum (excogitatus item adhibitusque fortè) unus, vel certè unus & alter, sicuti Græcis vel hodièque. Gravis & Circumflexus hic nullus est.

§. 5. Porro multiplicati sunt iidem, excogitati que successivè plures horum ob Orationem compositam, Syntaxin sive sententiarum distinctionem & interpunctionem.

§. 6. Ad luxuriam denique videntur adhibiti alii aliiqve, ob Orationem modulatam vel Musicam Ebraeorum. Quemadmodum Voces & Vestes ex. gr. excogitatae multiplicataeque sunt; 1. propter necessitatem. 2. ornatum. 3. luxum.

§. 7. Jam, in tantâ horum segete vel multitudine (XXX, plus ultra) cum difficile sit designare singulorum distinctam naturam, officium & usum, commodissimum videbitur progredi pro *אֲשֵׁרֵי הַיָּדָיִם*, sive remotionem & positionem.

§. 8. Ac primùm quidem removenda Synonyma sunt quaedam & cognomina vulgaria, & veteriora illa ex parte, accentuum, non peculiare accentus ipsa; ut sunt v. gr. *Gaja* (i. e. *Metheg*) *Legarmè* (i. e. *Pesik*) *Meaijela*, *Hilluj*, *Mecarbèl* (רַבֵּן Tiphcha, *Munach*, &c.) *Madafse*, *Maarich*, *Hiruk*, &c. Conf. & vid. Buxtorf. thes. lib. 1. cap. 5. pag. m. 39. & 59. seqq. Weiganmeier, lib. 1. cap. 5. pag. m. 8. cap. 6. pag. 9. &c. Amama, lib. 2. cap. 11. p. m. 218. seqq. Avenar. Schindl. &c.

§. 9. Porro removendum *Metheg* (accentus *euphonicus*) quod aliud nihil est, nisi lineola recta perpendicularis, denotans divisionem syllabarum diversarum in unâ voce: ut: מֵתֵּהֶגְ *erat*. Excogitatumque idem invento superfluo non nihil ad distingvendum, (ut ex parte dictum) diversas literas in diversas syllabas, idemque interpositum inter diversas vocales, secundo, tertio aut quarto loco ante accentum tonicum. Unde 1. non adscribitur monosyllabis. 2. non nisi syllabis accentu tonico destitutis. 3. non Scheva (ordinariè) affectis. 4. sed vocali saltem appingetur, & quidem 5. primò vocalibus longis. Vid. de eodem scriptores supra citati, add: Erpenius, Schikard. Böhlus, (tab. 9.) Meelfür.

für: Hortinger. Ravius, add: si placet, Præcepta gr. n. ed. pag. 27. &c.

§. 10. Removendum item *Pesik*, ejusdem figuræ cum *Metheg*, excogitatum ipsum ad dividendum diversas voces inter hæc positum. Adhibeturque idem vel necessario quodammodo, v. gr. ab amanuensi forte fortunâ nimis coarctatis vocibus: ex gr. Genes. I, 30. Psal. I. 1. vel ob evidentiam majorem, ut eò certius & accuratius easdem distingvat: ex gr. Jos. XXII, 22. Jes. XLII, 5. &c.

§. 11. Hujus contrarium signum (ratione figuræ transversa scilicet item naturæ) est lineola *Makkaph*, nimirum vocum duarum vel plurium per hanc combinatio, unico adeo spiritu efferendarum. Quorum pertinent suo modo formæ פרוי & פרוי. De quibus in Præceptis gr. n. pag. 26. seq. Conf. Buxtorffii thes. lib. I. cap. 5. p. m. 47. & 53. seq. Erpen. lib. I. c. 3. pag. 22. seq. Aven, pag. m. 234. seq. De vocali ׀ obiter hic quasi & in specie notetur, plerumque hanc per lineolam *Makkaph* connecti, nisi ubi absolute h. e. absque substantivo ponitur, ut : שְׁתָּרָוּ ׀ כֹּלֹּם *omnia posuisti*, Psalm. VIII, 7.

§. 12. Removendum item adhuc *Soph pasuk*: Duo puncta illa crassiora, denotantia ac dividenda integros versus, sententias & orationem integram.

§. 13. Accentibus annumerantur adeo singula hæc elementa verius ac vulgò, non quod sint accentus propriissimè loquendo: V. Gramm. n. pag. 27. & 28. quia neutrum præstant ipsa usum, neque in vocis legitimâ moderatione neque sententiæ totius ordinata constitutione. Inventa de superfluo ipsa quodammodo.

§. 14. Posito itaque sic repertoque certo numero Accutum: v. gr. supra vocem scriptis XIV, infra XI. in sum-

ma XXV. (Vid. alii aliiqve, add. Gr. n. ed. pag. 19.) præsuppo-
sitoqve hoc ad usum etymologicum, in vocis debitâ moder-
atione, vel unum vel certè unum altermqve sufficere, crit
seqvior & potior eorundem usus tacticus sive syntacticus:
qvibus adde Musicum.

§. 15. Nunc, circa triplex hoc indigitatum Accentu-
um Officium sive Usus: 1. *etymologicum*, 2. *syntacticum*,
3. *musicum*, plurima & in genere & in specie notanda qvi-
dem adhuc essent: v. gr. 1. Natura eorundem & descriptio
uberior. 2. Figura, 3. Nomina technica, 4. Differentia sive
distinctio. 5. Sedes vel situs. 6. Motus sive loci proprii mu-
tatio, imò abjectio planè. 7. Consortium speciale qvorun-
dam, & deniqve. 8. Usus sive Officium ipsum dictum tri-
plex. De qvibus omnibus & singulis videndi alii aliiqve;
add: si placet, Præcepta gr. n. ed. pag. 19. & seqq. Nos ante-
quam ad rem vel institutum princeps, hæc nihilominus pau-
cissima in antecessum *de Usu eorundem & officio etymo-
logico & Musico* notamus.

§. 16. Accentus dant in contrariis syllabis Vocali-
bus contrariam naturam. ut: לְכַנְרָא *ite*, מִיָּא *a-*
qvæ, &c.

§. 17. Qui supra vocem scribuntur accentus, adscri-
buntur ordinariè primæ syllabæ literæ, tono affectæ: qvi in-
fra, vocali suæ postponuntur.

§. 18. Accentus etymologici locus ordinarius est
secunda radicalis in LL. Orientalibus plerisqve, ut qvæ ha-
bet ordinariè vocalem: transit ab hac ad primam radica-
lem, si illa (secunda rad.) abjiciatur: ad tertiam, si recipit
hæc vocalem.

§. 19. *Milra dat extrema accentum, Milleqz
propinqua.*

§. 20. Ultimâ longâ accentus est in eadem: Ultima
brevis

brevi accentus est in penultima. Ut plurimum nempe & κατά πλείον.

§. 21. Diverforum in eadem voce accentuum posterior ut plurimum syllabam afficit.

§. 22. Accentus locum proprium mutat non rarò inter alia idè etiam, ne scil. ex accentuum occurrence & conflictu fragosa sequatur pronuntiatio. Vid. de hisce atq; similibus iterum iterumq; Schindlerus, Avenar. Buxtorf. Erpen. Junius, Amama, Bohlius, Hottinger, alii: add. Præcepta gr. n. ed. pag. 21 seqq.

§. 23. *Ufus Musicus* porrò approbatur etiam nobis comprobaturq; paucissimis quidem (antequam ad posteriora) non quantum *Quæstionem dicitur, vel quis & qualis hic sit*, sed solummodo *quæstionem an sit* vel τὸ ὄν.

§. 24. Ut modò & ex parte dictum, quamvis adeò hicce *Ufus, Musicus*, obscurissimus sit, imò incertus planè, fatentibus etiam ipsis Judæis: attamen non fuit idè nullus quondam planè. Quod probare videntur: 1. Illa dives eorundem seges & multitudo, quæ supervacanea videri poterat sanè, quantum usum etymologicum & tacticum vel syntacticum solummodò. Vid. & conf. superiora, Can. 4. & 5. seq. 2. Non-distinctivi accentus in specie vel ministri, ut vulgò vocantur, quorum usus in Syntaxi fere nullus, aut certè exiguus vel obscurior: unde probabile, in Musicis valuisse olim multum eosdem. 3. Si nullus in musicâ quondam eorundam usus, sed omnis in etymologia & syntaxi: occur non (quod rectius factumq; bene esset, omninò) in tantâ illorum excogitata multitudo, excogitati quidam etiam à Punctatoribus pro signo parentheseos, interrogationis, exclamationis, &c? 4. Id probare videntur libri poëtici, ut vulgò vocantur, vel metrici, qui, ut solent carmina non rarò,

cantillabantur olim absq; dubio : ita textus reliquus bibli-
cus, Decalogus, &c. exemplo moreq; s;veto hodie & adhuc
in Synagogis Judæorum, imò ecclesiis nostris. 5. Si accentu-
um notæ non simul quondam musicales fuerunt, dent pro-
ferantq; alias earundem notulas vel elementa? (de Musices
enim existentia apud Ebræos veteres, & sine hisce aut simili-
bus notulis frigere illam valde, ecquis dubitet?) sed nullas
proferre possunt alias: adeoq; nos persistimus in hisce ipsis
deniq; 6. addimus etiam auctoritates aliorum Cll. Virorum
Münsteri, Avenarii, Buxtorfi, Junii, Schickardi, aliorum :
Mollerii in præfat. sup. Psalmos, Athanas. Kircheri in Musur-
gia, pag. 65, alibi &c.

§. 25. Remotis superioribus, ex parte præsupposi-
tisq;ve, succedit nunc Usus accentuum *Tacticus* vel *Synta-
cticus*, potiorq;ve hac vice nobis. Quo de in genere notan-
dum primò : Orationis ejusdemq;ve partium dispositio,
(quorsum non parùm facit etiam constructionis vel synta-
cticæ & convenientiæ & regiminis in Verbis & Nominibus
habita accurata ratio) Norma est & regula interspirationis,
atq; ideò accentuationis : non contrà.

§. 26. Quo observato accuratè, nihilominùs & vicis-
sim legitimus accentuum positus (de facto, ut loquimur) o-
stendit verum Orationis sensum : & contrà. Unde rectè
Ministerium Sensus in Scripturâ S. (cæteris quanquam
paribus : proprietate ex. gr. Verborum, constructione, pa-
ralleliâ, analogia, maximè fidei, &c.) iidem merentur vocari
& neglectis licet quidem punctis vocalibus, iidem cernun-
tur textui sacro appositi ideò : v. gr. Numer. VII, à vers. 19
ad 83.

§. 27. Interspiratio sive interpunctio Orationis cu-
jusvis in genere & in universum, triplex fere est : 1. perfecta
sive

sive finalis, i. e. *periodus*, 2. *media*, membrum sive *Colon*:
& 3. *incisum* s. *comma*: quibus addi potest *subdistinctio*
vel semiincisum, *συστημὴ*,

§. 28. Cum Orationis unius interpunctiones tot non sint, quot accentuum notæ, nimir. (ex præsupposito vel concessis) XXV: sequitur, quod non omnes habeant usum hunc (de quo sermo hic & nunc nobis) nempe synacticum & distinctivum præcisè: sed 1. vel Musicæ inservire alios aliosque, ut supra dictum: vel 2. alios excogitatos de superfluo quodammodo, alium scil. propter alium. Unde *σχέσις* illa eorundem, vel *Consecutionis* similis (*σχετικὴς*) *Processus* vel *Ordo*,

§. 29. Oritur hinc de facili & suâ sponte *Distinctio* hæc (prima omnium) inter *Accentus primarios*, quorum natura & officium vel usus manifesta sunt satis in distingvendo, & *secundi ordinis*, quorum occultior ut cunqve usus. Illos *distinctivos* communiter vocant vel *Reges*: hosce *non-distinctivos*, *conjunctivos* vel *ministros*.

§. 30. *Distinctivi* vicissim sunt vel *majores*, qui perfectius distingvunt sermonem, & constituunt *Periodum* vel *Colon*: vel *minores*, qui imperfectæ ut cunqve sententiæ præsumt, & constituunt *Comma* vel *semicomma*, *συστημὴ*. Vel, sunt *primi alii*, *secundi*, *terti* &c. ordinis. Alij aliiq; amant Imperatores vel Reges, Duces, Comites, Barones, Equites suos. Alij Imperatores, Archiduces, Duces, Comites & Barones. Alij vicissim aliter: Reges, Duces, Comites, Dynastas, Toparchas & ministros suos, & sic porro. Cæterùm in terminis finis faciles, si modo de re constet.

§. 31. Omnium horum & singulorum Accentuum, & distinctivorum, primi, secundi, tertii &c. ordinis, itemque

non-distinctivorum, natura, officium vel usus suo tempore & loco infra, paucis quidem, inductione facta, ut loquuntur, firmanda statum inandaque; sunt fuerintque.

§. 32. Distingvendæ accentus hæc vel similis ratio, nec non porro Consecutionis eorundem Processus & Ordo certus fundantur & in Orationis serie cujusvis: vid. & conf. supra §. 25. seqq. & observantur quoque & vel maxime in Bibliis S. Vet. Instrum. Aliter idem tamen in libris profaïcis, aliter metricis Jobo, Psalmis & Proverbiis: aliter demum adhuc in Decalogo, Exodi XX. & Deuter. V. &c.

§. 33. Non in sese hæc atque talia adeo incerta sunt per omnia, ut ut intricata primâ fronte & obscuriora non nihil. Quod inductione facta (ut & supra ex parte indigitatum §. 31.) probari satis potest. Sic *Identitas* accentuationis constans reperitur in Versibus vel commatibus unius ejusdemque sensus vel constructionis, unâ licet alteraque voce non nihil immutata vel substituta. Conf. omnino Psalm. XIV. & LIII. Gen. V. v. 11. & 14, imò totum caput, Numer. VII. v. 19. seqq. conf. immò libros Regum integros cum Chronicis: 2 Reg. capp. XIX. & XX. cum Jes. capp. XXXVI. seqq. Sic *Diversitas* in Commatibus immutatis utcumque ratione structura vel sensus: v. gr. Genes. V. v. 11. seqq. alibi.

§. 34. Nunc *Ministerium* singulorum & omnium *Accentuum*, numero XXV. nec non *Consecutionis* eorundem in hoc officio *Ordo* & *Processus* demum specialius aliquantum evolvenda delineandaque sunt fuerintque. Demonstrandumque adeo, quinam *Distinctivi*, & quidem primi, secundi, tertii &c. Ordinis, & qui non-distinctivi, conjunctivi & ministri modo sunt. Quibus ipsis præmittimus nihilominus hæc adhuc & vicissim generaliora ἀξιωματικὰ ματὰ seqq.

§. 35. Omnium Accentuum primissimi sunt, ut sic loquar, (extra controversiam) hinc regii vel *Reges* dicti, hi sex seqq: *Silluk, Athnach, Segolta, Rebbia, Sakepbkaton & Sakepbgadol* (rex hic propter fratrem.) Quibus adde *Tiphcha*, Ducum omnium familiarissimus, & *Munach*, ministrorum omnium officiosissimus.

§. 36. Jam, *Silluk*, cujus comes perpetuus est *Sophafuk* (vid. & conf. supra §. 12.) & vicissim, Regum omnium maximus est, & constituit *Periodum*: de quo plura mox infra.

§. 37. Succedit huic *Athnach*, qui facit *Colon*: Vid. mox infra plura.

§. 38. Unde *Ditiones*, sic dictæ, duæ principalissimæ, five unius *Orationis* duo *Hemistichia*: *Ditio* posterior τὸ *Silluki*, & *ditio* anterior τὸ *Athnach*.

§. 39. Seqvantur Reges quatuor minores, *Commata* qui constituunt: *Segolta, Rebbia, Sakepbkaton & Sakepbgadol* (rex hic ferè propter fratrem, ut & supra dictum modò, §. 35) Vid. infra plura mox.

§. 40. *Subdistinctiunculas* five semiincisæ faciunt ex æquo fere *Duces* 11, vel 12. Continuunt sermonem *ministri* 8. Vide illos & hosce vel apud alios, vel in *Præceptis* gr. n. p. 23.

§. 41. *Rigor* hic *accentuationis* non æquè tamen semper & ubiqve observatur: & nulli Accentuum, præter τὸ *Silluk* (neqve huic constantissimè: Vid. infra paullo §. 52.) etiam reliquis regibus, una certissima & constans distinguendi ratio potest attribui. Item, nec *Consecutionis* rigor æquè unus semper.

§. 42. Etiam *Reges* non semper distinguunt: (Buxtorf: distinguendi jus universale obtinent quidem, sed non

(semper exercent) multò minus reliqui minores *Duces* nobis & vulgò nominati. Contra *Ministri* nonnunquam etiam subdistinctionibus inserviunt: v. gr. i. Samuel. XII, 3, cap. XV, 6, & 9. Vid. Buxtorf. thes. lib. 2, pag. m. 274, seq.

§. 43. *Duces* distinguunt vel potius subdistinguunt minutiore & curiosiore quadam ratione: nempe semicommata, imò dictiones singulas leviter inter pronunciantum signando & distinguendo inter se. Sæpe tamen (in sermone continuato) prorsus nihil distinguunt, & à ministris non differunt.

§. 44. *Accentuum regionum* (excipe Sakeph gadol) quilibet habet suos ordine ministros: ad minimum Ducem sive ministrum majorem, remotiorem, & ministrum minorem, propinquiorem; nonnunquam & jungentes alios aliosque, vicissim ministras minores, Res claudit semper agmen.

§. 45. *Ducum ministrantium & Ministrorum* propriissimè sic dictorum, nunc plures nunc pauciores sunt pro constitutione sententiæ brevioris vel longioris. Ubi spatium itaque deest, excluduntur alij atque alij in consecutionis ordine, imprimis viliores.

§. 46. Minister quando excluditur, tunc Dux immediate præcedit regem: si & Dux, tunc Rex regem immediate sequitur.

§. 47. Rex (extra τὸν Silluk) in principio sententiæ constitutus comitatu suo destituitur. v. gr. Athnach, Genes., XXXV. v. 5.

§. 48. *Ducū* alii sunt *communes*, alii *proprii*: *Communes*, qui regibus omnibus æquè inserviunt; suntque hi quinque: Geresch, Geraschajim, Telischa gedola, Paser & Kar-

hepara, imprimis 1. 2. & 4. *Proprii*, qui certis regibus, præsertim *Tiphcha*, *Tebhir* & *Paschta*. *Communes* reges præcedunt remotius, *proprii* propinquiore loco & ordine. Ita *Ministri* etiam sunt danturque *communes* & *proprii*: Conf. Buxt. th. lib. 2. pag. m. 281.

§. 49. De *Periodo*: Sicuti Oratio in certas periodos, ita periodus in Cola, Colon in commata, comma in semicommata & dictiones dividuntur. Item, alia periodus, est *μονόκωλ* ☉, v. gr. Gen. II. v. 1. *δικωλ* ☉, Gen. I, 2. *τετρικωλ* ☉, Gen. I, 28.

§. 50. De *Colo*: aliud est *μονοκομματικόν*, Gen. I, 1. *δικομματικόν*, &c. Item, Colon etiam constituunt nonnunq. *Segolta*, v. gr. Genes. I. v. 28. imò Schalscheleth, Amos I. 2. Schindl. pag. m. II. imò Merca, Psalm. XVI, 4. Weigandmair. pag. m. 8.

§. 51. De *Commate*: Idem semicommata plura nonnunq. habet. It: Idem constituit nonnunq. etiam *Athnach*, Psal. XVI, 4.

§. 52. Porro, *Silluk* in specie, regum omnium quidem maximus, reperitur tamen & ipse in Oratione sive periodo incompleta: ex. gr. Gen. VII, 8. seq. cap. XXIII, 17. Exod. XX, 1. Deuter. V, 1. & 6.

§. 53. *Athnach* in XXVIII. locis absolvit periodum. V. gr. Genes. IV, 8. conf. omnino Schindl. pag. m. 46. seq. Contra, Idem minori distinctioni, quam par est inservit. Vid. Gen. I, 1. imò planè nonnunq. abest. Vid. Genes. I. v. 13. 1. Chron. XXVIII. v. 1. conf. Buxtorf. pag. m. 270. seqq.

§. 54. *Segolta*, *Rebbia* & *Sakepb katon* sæpè etiam nihil distinguunt. Vid. Buxt. alleg. locò.

§. 55. *Segolta* Colon (ut ex parte jam supra modò dictum

dictum §. 50.) etiam facit primum in periodo. v. gr. Genes.
1, 28.

§. 56. *Sakeph gadol* pauperrimus regum minorum est: rex propter fratrem: unde ministerio omni caret: imò ipse inservit nonnunq. distingvitqve minime.

§. 57. *Schalscheleth & Jethibb* omnium Ducum minimi sunt: unde & famulatio omni carent & ipsi.

§. 58. *Tiphcha* contra Dux omnium familiarissimus.

§. 59. *Munach* minister omnium officiosissimus: omnibus & regibus & ducibus (qui ministros habent) inservit, excepto Silluk & Tiphcha: item seipsum bis, ter, quater & plusculum repetit & insequitur.

§. 60. *Processus sive Consecutionis Ordo accentuum*, & quidem in libris profaïcis, hic fere jam est: I. *Reges* sex:

Silluk (Periodus) habet ante se ministrum Merca: Dux appropri. Tiphcha & Tebhir: nonnunq. Sakeph gadol. Ex. gr. vid. & conf. Gen. I. v. 1. cap. IV. v. 1. & 2. Jerem. XI. v. 5, cap. XII, 17. &c.

Athnach (Colon) minister est Munach: Dux appropri. Tiphcha iterum & Tebhir. Vid. & conf. Gen. I. v. 2. Numer. VII. v. 86. seq.

Segolta (Comma) minister Munach: Dux Sarka. V. & conf. Gen. III, 2. 2. Reg. XIX. v. 35.

Rebbia: minister est Munach & Darga: Duces, Communium quinque quidam. Vid. supra §. 48. & conf.

conf. Gen. I. v. 11, cap. L, v. 24. Exod. XXI, 29. 2.
Samuel, IV, 9. Efr. VI, 9.

Sakephkat : minister Munach & Kadama: Dux appropri:
Paschta vel Jethib. v. & conf. Gen. I. v. 7. cap.
XLIX. v. 10. Jerem. XXXIII, 25.

sakeph gad. ministerio caret omni.

II. Duces :

Paschta : ministri : Merca, Mahpach, Telischa ketan,
Kadma & Munach.

Geresch ; ministri ; Kadma , Telischa ket. & Mu-
nach.

Geraschajim : minister Munach, vel planè caret mi-
nisterio.

Telischa ged ; minister Munach : nonnunq. iteratus.

Karne para ; ministri : Jerach ben jomo & Munach.

Paser : Munach : sæpiusculè idem iteratum.

Sarka : Munach, Kadma, Telischa ketanna.

Tipcha : Merca, Merca dupl. nonnunq. Darga.

Tebhir : Merca , Darga, Munach , Kadma & Telischa
ket.

Schalscheleth ; famulitio omni caret.

Jethibb : caret & idem eodem,

§. 61. *Schema*, ὡς ἐν πλάτῃ, id esse poterit, ut
sequitur:

C

Reges :

Reges:

Silluk

Athnach

Segolta.

Rebhia

Sakeph k.

Sakeph g.

Duces:

Paschta.

Geresch

Gerascajim

Telitscha g.

Karne para

Paser

Sarka

Tiphcha

Tebhir

Schalsceleth

Jetibh.

Ministri:

ו

ו

ו

ו

ו

ו

ministerio omni caret.

ו

ו

ו

ו

ו

ו

ו

ו

ו

ו

ו

ו

ו

ו

Duces appr:

ו

ו

ו

ו

ו

ו

commun. quidam.

ו

ו

ו

ו

ו

ו

ו

ו

ו

ו

ו

ו

ו

ו

§. 62. **Cæterum**, ut & **suprà jam dictum §. 32. in Libris metricis** Ⲛⲟⲩ ut vulgò vocantur, h. e. **Jobo, Psalmis & Proverbijis, adde Decalogum, &c. alia quàm in libris alijs biblicis profaicis accētuum & accētuationis ratio est: idq̄ve absq̄ve dubio cūm ob metrum, tūm v. rerum ac vocum emphasin & pondus.** Desunt ibidem v. gr. **Sakeph** utrumq̄ve, **Segolta, &c.** **Freqvens contrā duorum accentuum compositio est; ex. gr. Sarka cum Merca & Mapach, unde Sarka compositum, Merca cum Mapach, unde Merca Mapachatus, Rebhia cum Geresch, unde idem geraschatus, &c.** Et sic alia hic sunt occurruntq̄ve singularia non pauca; imò mystica quodammodò, quorum ratio & habitudo cūm nos lateant, intricant non parūm etiam eò hanc doctrinam. **Adi, & vide de hisce atq̄ve similibus, circa accentuationis negotium, anomalijs præ cæteris Schindlerum de accent. pag. m. 46. segg. Buxtorf. thesaur. lib. 1. cap. 5. lib. 2. c. 23. Bohlium, tab. 12, alios.**

§. 63. **Ex quibus omnibus atq̄ve singulis (dictis brevissimè, ὡς ἐν τούτω καὶ συνόψει) patet ut-cunq̄ve, & in aprico esse videtur: Accentuationis ratio-nem, in Biblijs S. S. Ebrajs, non per omnia quidem in-certam esse, quantum potiora & distinctiones & inter-punctiones majores, illas omninò, easdemq̄ve summè necessarias: intricatam tamen eandem non parūm, & subobscuram in reliq̄vis, interpunctionibus minoribus, veriùs non-distinctivis illis, sed conjunctivis saltem, (& quid verò dicam iterūm & adhuc de libris metricis?) non usq̄ve adeò & in sensu rigorosiore omnibus ipsis neces-sarijs, sed superfluis quodammodò, & ad superstitione-**

mem usque fortè à Masorethis vel Punctatoribus (Pausatoribus, ut alij aliq̄ve vocare amant) quicumque jam illi fuerint, excogitatis: retinendis interim hodieque cum Masorethicis alijs, (non omnibus & ipsis adeò parulis) quæ citrà textus facer aliàs deficeret nonnunquam, imò, an dicam? falleret suo certo quòdam modo.

§. 64. Dantur scilicet enim hic, quantum posteriora, in contrarium tot fere exempla & variationes & exceptiones ad regulas (Et quotusquisque verò fuerit ille, qui hæc atque talia animo satis concipere, cōdere, gerereque, & prorenatâ promere vicissim mox possit? & posito: an adversarius fidem etiam dabit hisce nostris inventis? & ubi ante hæc verus Scripturæ sensus?) quot Canones vel regulæ dantur, & operosè satis hæctenus quidem (per inductionem qualemcunq̄ve, an sufficientem? exemplorum, & à posteriore, quod dicunt) sunt extractæ, pro & circa id negotij præsens genus. Ac metuendum cavendumque est, ne illa minutiore & curiosiore hodiè ratione distingvendi & similiter, nec dum perspectâ adhuc satis (& quid verò, an vel unquam? alia sicuti Masorethica inventa, & nondum & hæc plenè & planè) intentione & mente seu Pausatorum seu Punctatorum (quicumque demùm illi) Sensus Sacræ Scripturæ inferatur verius ac citius hoc modo, quam auferatur ex eadem, &c. Quo ipso interim nullius in genere hoc laboribus eruditis & pertinacibus præjudicare aliquid volumus: minimè, absit. Abundet suo quisque potius sensu, &c.

§. 65. Concludimus postremùm cum Cl. Sixt. Amamæ, Gramm. Ebr. lib. 2. cap. 11. pag. m. 221. verbis:

Cetera,

Cætera, quæ de accentibus vulgò traduntur, studio prætervehimur, cum fastidii multum, utilitatis verò aut parum aut nihil habeant.

SYLLABUS

**Authorum, qui præ reliquis
Doctrinam de accentibus Ebr. scriptis suis
illustrarunt, innotueruntq; nobis.**

E Judeis:

Autor anonymus שער הנגיבור *Portæ ac-*
centuum.

R. Dav. Colonymus, continuator Bal-
mesii. Vid. hunc.

Elias Levita: tit: lib: טוב טעם

R. Jehuda Bilhamides: tit: שעמי המקרא

E Christianis:

Joh. Reuchlinus.

Seb. Munsterus.

Joh. Avenarius.

Hier. Opitius.

Val. Schindlerus.

Isaac Gronbeccius.
Conr. Neander.
A. Seb. Nouzenus.
Abr. Gibelius.
Joh. Buxtorfius.
Fr. Junius.
Georg. VVeiganmeier.
Thom. Erpenius.
Petr. Martinius.
Chr. Helvicus.
J. Henr. Alstedius.
VVilh. Schickardus.
Henr. Bebelius,
Sam. Bohlius.
Casp. Ledebuhrius.
Chr. Ravius.
Matt. VVasmuth.
Lud. Hanekenius.
Aug. Pfeiffer,
Clam. Florinus.

DEO Laus!

ERRATA

Si quæ irreperunt typographica, & mea fortè quoque, L. B. habe de iisdem id tritum: *Homines sumus humani à nobis nihil alienum putemus*, atque benevolè illa corrige.

APPENDIX,
sive
HYPOMNEMATA

Quædam, postliminiò certisq; de causis, lucisq;
conciliandæ majoris ergò, Sciagraphiæ præ-
senti de Accentibus Ebr. superaddita:

Autore eodem,
ANDR. SENNERTO, P.P.

Minimè verò fert animus, Lector benevole, hac præsertim ætate, ferram reciprocare altercationis cum Quoqvam super expositis circa præsentem materiem : abundet quisque, dixi scripsique, potius suo sensu; ego meo. Cæterum Ad-dendorum hîc loci & hac vice sua mihi certa fuit ratio vel causa (mores novimus hujus seculi) itaq; quod authoritatem, integritatem, certitudinem hodiè, similia, Verbi DEI scripti Vet. Instrumenti, punctorum porrò accentuumq;, (de quibus hîc nobis & nunc) originem, antiquitatem & habitudinem, addo Mosoram ipsam, Keri & Ceribh, alia concernit, ita habet L. B. *συλλήθεθην*, me habere habiturumq; esse forte semper & constantè, nisi convictus validissime:

ASSERTIO I. Puncta vocalia, multo minùs accentuum notæ, literis in sese spectatis non sunt coæva.

II. Neq; textui sacro Ebræo.

III. Sed (nisi Mosi, divino viro, in monte Sinai data) successivè eadem inventa excogitataq;, non citra providentiam divinam singularem, Constantis Lectionis habendæ ergo.

IV. Originem interim eadem non debent suam Tiberiensibus Judæis: minimè.

V. Sed Masorethis.

VI. A Mose, divino Viro, & successoribus ejus ad
Esdras

Esdras usque & Collegas suos quos deducimus:
ita Masorethica ipsa.

VII. Divino afflatus spiritu in hoc negotii genere eosdem fuisse nulli dubitamus.

VIII. Et literæ, & puncta vocalia, & accentuum notæ, reliquusque immò Masorethicus apparatus, Keri & Cetibh &c. Divinæ adeò sunt, omninò, (præsertim quantum materiale Masore) authoritatis, vel certè quædam horum (formale maximè ejusdem) intermedia.

IX. In numero & gradu certo suo (ratione originis, inventionis & intentionis Masor. &c.) interim distincta non nihil ipsa.

X. Hujus ratione (quantum nos, non in sese) alia adeò magis certa & evidentiâ, alia minus.

XI. Omnia interim hodiè in Codicibus probatis correctisque; pertinentia ad Codicis Ebræi integritatem & perfectionem: essentialia ipsa eidem.

XII. Incertitudo si quæ hic est videbiturque, quantum nos eadem est, ut jam supra dictum.

XIII. Certitudo summa, quantum sese, potiora & fidei præsertim summa capita.

XIV. Masora ipsa hodierna (in sese spectata) impressa est imperfecta, & fallit insuper nonnunquã.

XV. Codices hodiè nostros Masorethicis notis instructos majorẽ partem habemus & Christiani
& Ju-

& Judæi à superiorū non longè temporum Maso-
ræ impressæ collectoribus R. Jaacob Chajim, aliis.

XVI. Codices hodierni, Apographa nostra,
variant in nonnullis (minoris commatis) inter se.

XVII. Distingvendum inter puncta & accen-
tuum notas in sese spectatas, & quatenus confide-
rantur ratione Originis suæ, & grammaticæ, (in
abstractione suâ,) quo modo dixi ego scripsiq; ra-
tione inventionis hujus suæ, esse superflua quæ-
dam horū quodammodo & nonnunquam: v. gr.
quemadmodū est Schva Ebr. cuius utpote figuram
alij alijq; Orr. populorum non agnoscunt planè,
absentiâ puncti vocalis testante scil. satis de eo-
dem: ita Raphe, alia: & inter Codicem Ebr. notu-
lis hisce inventis nunc hodieq; instructum, (in
sensu Biblico) quo modo textui hodiè nunc cen-
sentur esse & sunt essentialia.

XVIII. Theander B. Lutherus noster felicissimè
vertit Codicem V. Infr. ut ut sepositis spretisq;
quandoq; notulis sæpiusculè notatis: nec tamen
Versio ejusdem, vel alia quæcunq;, æquiparanda
Fontibus est.

Tantum, Ben. Lector, pluribus circa hæc atq; talia
alibi, bono c. DEO, mentem meam explica-

bo. B. V.

DEO Laus!